

## Miscellen.

### Coniectanea.

I Epidauria. narrat ab Aesculapio sanatus Apellas ex Caria homo fere aequalis Aelio Aristidae, quot et qualia sibi deus ad morbos atque ἀψίαις remedia monstraverit. inter cetera versu inscriptionis 13 μόνον λούσασθαι καὶ ἀττικὴν δοῦναι τῷ βαλανεῖ, κοινῇ θῦσαι Ἀσκληπιῷ ἥπιον ἢ ἔλευσειν αἰς. sic haec descripsit Kabbadias ephem. arch. Athen. III 1883 p. 230. scribendum erat Ἡπίονη. eam ab Epidauriis uxorem dei habitam esse signisque in urbe lucoque honoratam Pausanias refert.

columellis incisa legebantur in fano miracula quibus deus iuverat laborantes, ἰάματα Apollinis et Aesculapii conscripta ex tabellis votivis, digesta in speciem libelli, referta mulierum ac sacrificulorum superstitionibus somniisque, exposita sermone dorico. Cleo per quinquennium puerum in utero gestarat ante quam divina ope peperit, titulumque dicavit hunc, l. s. s. p. 211 versu 7 οὐ μέγεθος πίνακος θαυμαστέον, ἀλλὰ τὸ θεῖον, πένθ' ἔτη ὡς ἐκήησε ἐγ γαστρὶ Κλεῶ βάρως, ἔστε ἐγκατεκοιμάθη, καὶ μιν ἔθηκε ὑγιῆ.

fugit Kabbadium carminis ratio ea arte conditi qua excellunt Trimalchiones: hexametros duos unus sequitur pentameter.

p. 215 v. 118: laborabat vir pedis digito morso ab angue, sanatus sibi in somnis visum esse ait νεανίσκον εὐπρεπῆ τὰμ μορφὰν ἐπὶ τὸν δάκτυλον ἐπιπῆν φάρμακον. his confirmatur unicum Hesychiei testimonium: πῆν' πῆ καὶ πῆν ἐπὶ τοῦ κατά-πασσε καὶ καταπάσσειν, vide Lobeckii rhematicon p. 104.

item qui emendari oporteat Hesychiei glossam δεμβλεῖς· βδέλλαι, quae inter δέμει et δέμνια media est, lapis hic ostendit v. 98 ἀνὴρ Τορωναῖος δεμελέας: devorarat homo hirudines novercae dolo iniectas in cinnum, cubanti deus visus est discisso pectore τὰς δεμελέας ἐξελεῖν. ergo ut σδ et δσ graeca littera comprehenduntur una, sic illi βδ quasi δβ pronuntiantes hinc principiam voci fecerunt δμ sive δεμ, cf. plumbum βολιβ- μόλυβδος, Ἀβαντία Ἀμαντία, sim.

etiam alia Hesychieus derivata habet ex vetere hoc libello. velut ille ἴατρα· μισθοὶ θεραπείας, hic p. 214 v. 45 ὑποδέκεσ' ἀποθύσειν τὰ ἴατρα; ὑποδέκομαι. porro p. 215 v. 120 caecitate liberatus fertur Ἀλκέτας Ἀλικός, Hesychieus Ἀλικός· ἀλικοί καλοῦνται οἱ τὰ πρὸς θάλασσαν οἰκοῦντες μέρη τῆς Πελοποννήσου, verissime ut opinor. at Pausanias II 36, 1 ἢ Ἀλικὴ τὰ μὲν ἐφ' ἡμῶν ἐστὶν ἔρημος, ὑπέκειτο δὲ καὶ αὐτὴ ποτέ, καὶ Ἀλικὸς λόγος ἐν στήλαις ἐστὶ ταῖς Ἐπιδaurίων, αἱ τοῦ Ἀσκληπιοῦ τὰ ἰάματα ἐγγεγραμμένα ἔχουσιν, ἄλλο δὲ σύγγραμμα οὐδὲν

οἶδα ἀξιόχρῳ ἐνθα ἡ πόλεως Ἀλικῆς ἢ ἀνδρῶν ἐστὶν Ἀλικῶν μνήμη. laudibus Kabbadias Pausaniae fidem extollit, qui Halicorum e columellis istis memoriam repetierit, vereor ne praeter rem. nam Ἀλικὸς est in lapide, non quem ille dixit Ἀλικὸς λόγος. videtur Pausanias aliena verba perversè interpretatus esse ad consuetudinem rhetorum Ὀλυμπικὸν Ταρσικὸν al. ita vocantium ut compendi facerent λόγον. certe ipsius verba Pausaniae Graecus nemo sic potuit intellegere ut sententiae auctor intellegi voluerat: Ἀλικὸς λέγεται, vocabulum hoc invenitur in actis Epidauriis. nec deleri λόγος aut ad librarios culpa transferri potest, nisi quis Pausaniae ut fidem adquirat, orationem inquinare malit. tenemus ergo signatorem falsi.

II Amorginum epitaphium Comparetius inter varias inscriptiones edidit *Museo Ital. di antichità class.* I 2 p. 25, carmen memorabile ob letum ephebi et quandam poetae faciundiam. quod repetere hic placet emendatis non nullis quae ille praeteriit:

- τὸν δεκαἕξ ἐτέων ἀριθμοὺς προφέροντ' ἐν ἐφήβοις  
 αἰνόδακρυν λεύσσεις, ξεῖνε, τὸν ἐν φθιμένοις  
 πρὶν τελέσαι λυκάβαντος ὄλον δρόμον. ἤλθε γὰρ ἄλλας  
 τύρσιδος ἀγρίονους, οὐχ ὀσιός τις ἀνήρ,  
 5 καὶ σὺν ὀμαλικίοισι νέων ἀνὰ γυμνάδα φαιδρὰν  
 στείχοντ' ἀνδροφόνῳ δεξιτερᾷ παλάμῃ  
 λόγῃ ροιζήεντα βαλῶν ἀφύλακτον ἀκκῆν  
 ἐν σταδίῳ πλευραῖς πικρὸν ἐνήκε βέλος.  
 ἄχρι δ' ἐπ' ὀστέον ἤλθεν, ἐλεῖν δέ τις οὐδ' ἐπαρῆξαι  
 10 ἡδύνατ', ἀλλὰ βία τ' εἶκε μόλις δ' Ἄρεως  
 ἡλύκωθη προβολᾷ διὰ σώματος, αἷμα δ' ἀνέρρει.  
 χῶ μὲν ἔβα πελάγους [β]ένθος [ἐ]π' ἀτρυγέτον.  
 πεμπταῖον δ' ἐμὲ [Μο]ῖρα τὸν ἕξ ἀγέλας Διότιμον  
 ἡθέων οἰκτρὰ μάρ[ψ]εν ἐν Ἄρκεσίνα  
 15 πατρίδι· καὶ μάτηρ μὲν Ἄριστάρετη σὺν ὀδυρμῷ  
 κῶκυσεν, γενέτας δ' [ἄ]λετο C]ωσαγόρας  
 δακρυχέων γηραιό[ς], ἕ]δεκτ[ο] γὰρ ἀντὶ τροφήν  
 ἐλ[π]ίδος ἐν μελάθοις [π]ένθος, ἐπεὶ νεκῶν  
 ἀργαλέ[ο]ς ἐπέρασα μυχοῦς· ὁ δὲ σύντροφος Ἐρμᾶς  
 20 ὠδήγη]σε λαβῶν χῶρον [ἐ]ς ἡλύσιον.

versu 3 ΟΔΟΝ lapis exhibere dicitur clarissime. 10 legitimum erat μόλις τ'. 11 ΠΡΟΒΟΑΑΙ exemplar lapidis: acuto mucrone, ut Celsus ait med. VIII 3, telum ex corpore exterebratum est profususque sanguis. cf. AP. VII 433 θηκτὸν δ' ἐν προβολᾷ θεμένα ξίφος, Ruhnken. ep. crit. p. 68, Jacobs. AGr. VII p. 412. 12 ΕΗΑ ex. 13 ΔΕΜΕΜΕ..ΙΡΑ.ΟΝ, inter A et O superior pars litterae velut Z unde [π]ε]ιράζον Comp. 14 ΜΑΡΙ'..Ν 19 ....ΘΟΥΣ: verum non inveni, ἐς πλῆ]θους Comp. 20 post χῶρον nihil amplius scriptum est in lapide, quasi scrupulum iniecerit sculptori placitum ac nomen ethnicum: explevit Comp.

III Propertius immatura morte raptum Marcellum Octaviae filium deflet elegis III 18. describit regionem in qua occiderat Baianam: qua iacet Troiae tubicen et sonat Herculea via,

5 hic ubi mortales, dexter cum quaereret urbes,  
 cymbala Thebano concrepuere deo —  
 at nunc, invisae magno cum crimine Baiae,  
 quis deus in vestra constitit hostis aqua? —  
 his pressus Stygias voltum demisit in undas.

hanc optumi codicis scripturam recipiendam censeo, abiciendam quae volgatur *hic ubi, mortalis dextra cum quaereret urbes*. post Misenum atque Herculem Bacchus inducitur sua orgia ferens per Baiana littora concitansque mortales. Baccho Thebas et Apolline Delphos insignes accepimus: Thebanum deum noli credere Herculem esse sed illum cuius pompam in proxumis elegis ipsae Thebae ducunt III 17, 33. Bacchus a graecis poetis fingebatur Νάξον έάσας Έλλάδος άστεα πάντα μετελθειν, latini eum dum terras permeat lustrasse etiam Oenotriam faciunt velut AL. 745 R., Propertius Campaniam, nam quae rura aequae fuerunt plena Baccho magisque experta huius dei praesentiam? dexter deus mortales illos adiit, id est propitius favensque, quem ad modum *et Baccho et Apolline dextro* et alia multa dicta sunt. quaerebat deus urbes, nam aberant etiam tum illi orae nec prius extitisse videri volt poeta quam Lenaeus pater sua munera advexerit. at *dextra* manu *quaerere* quis aptius dicatur quam mendicus? bellatori id verbum qui convenire putant interpretes exempla adscribere minime idonea. immo dextrum Bacchum ora Campana peregrinamem et deum hostem in Baiana aqua consistentem poeta inter se fecit contrarios. illum olim laetissimus chorus comitatus est, homines cymbala concrepuere (cf. Ovidi fast. II 441 *concrepat aera*, al.), at nunc — nimirum in fabulosum tempus deorumque cum mortalibus commercium Propertius eas voluptates retorquet repercussasque speculo ostendit, quas ipsius aetate Baiae solebant videre, ut Seneca ait ep. 51, 4, ebrios per littora errantes et comissiones navigantium et symphoniarum cantibus strepentes lacus.

vela in theatro ut extenderentur ludis, iam diu moris fuerat: Marcellus sine ludis a kalendis Augustis forum velis inumbraverat prospiciens salubritati litigantium (Plinius hist. n. XIX 24). hanc rem Propertius versu 13 memorat, nihil profuisse Marcello *modo tam pleno fluitantia vela theatro* id est forum totum velis mutatum in speciem theatri. quo tempore anni ille mortuus sit, etiam definitius poeta dicit versu 19, post quam pretiosissima supellex *ludis* splenduerit *magnis*: verbum poetae fas est pendi statera auraria, Romanos ille ludos significat qui proprie magni appellati sunt (Mommсенus quaest. rom. II p. 43 n. 3), nihil certius est quam decessisse Marcellum post idus Septembres. ultimi hi ludi fuere curati ab aedile, praetoribus ea cura mandata est ex morte Marcelli (Dio LIV 2).

moriundum est cunctis: formosus licet fuerit Marcellus et fortis et dives, mors non pepercit talibus. nec singulos tantum oppressit sed totas catervas lamentabili strage permiscens vivos ac mortuos: inopinantes Romanos Marcelli luctus prostravit, luctus in populum refusus a principe, Augusto male vertit amor generi. tecta haec sunt obductaque, sed ut persentiscere possit siquis per

verba in sensa penetrare horum poetarum studet, exemplo ex Iliade sumpto v. 29: *hic olim ignaros luctus populavit Achivos, Atridae magno cum stetit alter amor.* in rebus Troianis qui funera Graecis paravit amor prior Helena est, alter Chryseis.

IV Invenit Iacobus Cortese et delineavit adnotavitque in *Rivista di filologia* XII (1884) p. 396 chartulam circa Cassiodori tempora magnis litteris accurate signatam, qua de A. Postumio historiarum scriptore consule a. 603/151 nota ignotaque referuntur:

- is. cum eo tempore, ut narrat in historiae | suae principio, duae quasi factiones Romae | essent, quarum una graecas*  
 5 *artes atque | disciplinas adamabat, altera patriae caritatem praete[x]ebat, acerrime ab illa stetit Albinus. hic Athenis studiosus audien|di versatus est adulescentulus, atque pr|opterea graecam institutionem prae cete|ris extollebat non sine quadam*  
 10 *iaclatio|ne et petulantia. inde irae atque accusa|tiones adversariorum, qui minus pa|terentur graecum sermonem in scrip|tionibus usurpari ad rem R. spectanti|bus. graecae aulem, ut*  
 15 *scimus, historiam | ille confecerat Q. Ennio poetae inscri|ptam. ceterum satis in eo erat littera|rum et philosophiae, cuius alumnam elo|quentiam inculcandam aiebat . . . tum post duos ver-*  
 21 *sus extinctos | consulatu arrepto cum dilectu . . . quo de dilectu Livius egerat libro XLVIII.*  
 4 *patriam charta, quod ipsi scriptori imputare vereor* 9 *estollebat*  
 17 *filosofiae*

Cortesius relicta haec esse sibi persuasit ex libro Nepotis de viris illustribus XIII (Gelli XI 8), mihi non item. non derecta est eo cursu oratio qui ad vitam enarrandam tenetur sed conversa ac pressa potius, late Nepos exposuerat quae hic strictim dicuntur accusationes adversariorum, *scimus* (*comperimus, non ignoramus*) et *narrat* talia commentatores interponere solent velut Cicero qui Catonis orationem tusc. I 3 aut illi qui Ciceronis orationes historico modo interpretati sunt, *prae ceteris* et absolute positum *audire* atque alia quaedam a Nepotis aut illius saeculi latinitate abhorreere opinor. quis illa scripserit non divinavi, scripsit annalium non vulgarium lectione imbutus aliquis Granius, gratulor illi quod fabulas aspernatus tam πραγματικῶ excerpserit.

Ennio Albinum historiam suam inscripsisse discimus, ergo sine more iuvenem confecisse, tredecim cum minimum annis ante quam praetor fuit (a. 599/155), senique obtulisse poetae utpote auctori graecae eruditionis locupletissimo. Polybius de Albino simillima narrans XXXIX 12 (XL 6) quod illius culpa τὴν αἰρεσιν τὴν Ἑλληνικὴν scribit προσκόψαι τοῖς πρεσβυτέροις καὶ τοῖς ἀξιολογητάτοις τῶν Ῥωμαίων, ipso vocabulo expressisse videtur Albini sententiam, qui in prooemio historiae duas has quasi factiones distinxerat. ex eo quod in fine non integrum adfertur dicto intellegimus Albinum commendasse Romanis studia rhetorica.